295

DE
PILORUM UTILITATE
Dissertatio Inauguralis

QUAM

PRO LAUREA MEDICA

RITE OBTINENDA

LEGEBAT

LAURENTIUS GUSTAVUS MORETTI

DE CISONO



PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLI

Patri meo dicata

Omnibus quidem in medicorum scientiis paullisper etiam versatis compertum esse debet, quanta ille difficultate obstringatur, qui lauream sit consecuturus, cum ipsi hac de causa dissertatio quaedam lucubranda, eaque typis mandanda sit. Quare ego pro certo habeo, eum qui haec pauca mihi scribenda, et in lucem edenda legere patienter voluerit, eo magis indulgere, quo magis doctrina polleat; et hinc omnibus praetermissis, quae ad hanc meam excusandam imperitiam facerent, ad argumentum statim devenio, quod, uti est antea dictum, in pilorum utilitate versatur.

» Ad quamcumque corporis partem pertineant pili, ut clarissimi Richerand verbis utar, omnes eamdem structuram habent, omnes nascuntur e bulbo vesiculari in textu pinguedinoso subcutaneo posito, ex quo bulbo pleno gelatinosae lymphae, qua ille nutriri videtur, divisus prius in duo vel tria filamenta, quibus quaedam radicis species componitur, erumpit, unicum funiculum efformans, qui pellem atque epidermidem oblique perforat, ex quarum postrema vaginam

assumit, quae illum ad verticem usque perducit ubi in culmen terminat. »

Capillorum color ab albo leviter cinereo ad nigrum ebeni gradatim devenit, atque illorum crassitudo ex eo dijudicari potest. Withof patientissimus quidem observator in sua de hominis pilis et capillis dissertatione asserit, in pollicis quadrati spatio quingentos super septuaginta septem nigros: octo et sexcentos castaneos: septigentos autem et nonaginta flavos capillos contineri, adeo ut capilli diametros, qui habetur a pollicis tercentesima ad septingentesimam partem minimus sit in flavis capillis, qui eo sunt subtiliores, quo magis colore destituuntur.

Officium pili hactenus a physiologis definitum aut nimis est indeterminatum, aut ita est futile, ut illi adquiesci non possit; sed ipsi ad maximi momenti incognita incumbentes, illud pro nihilo habuere, quod in aliquibus corporis regionibus consuetudo quaedam et lex, suadente id forsan pilorum officii ignorantia, tonderi continuo jubent, quasi cum eorundem recisio innocua appareat, inutilis etiam sit, et non multa adminicula ad vitae integritatem concurrant; quasi gradibus destituantur vires, et natura quae nos uno corde ac uno cerebro donavit, unum pilum aut nullum, uti nullas frondes nullasque ad nandum vesicas, dedisset si hoc cum majori vitae vi

posset conciliari; ac tandem quasi eadem ipsa natura, qua ratione nasum membraque caetera atque ipsos pilos in diversis speciebus, individuis et corporis regionibus optime temperavit, eadem pilorum augmentum diversimode finire nesciverit, si, uti ajunt, eorum longitudo inutilis fuisset.

Neque plenius hoc nobis explanant Pathologorum quam Physiologorum studia. Quapropter silentio praeteriens pilorum officium, quod quidem si recte determinetur, erit in causa, cur securius de eorum utilitate disseratur, ad hanc ego probandam modo pauca in medium proferam de nexu, quo pili, praecipue vero barba et capilli, utpote qui caeteris prolixiores a physiologis non fuere praetermissi, cum viribus physicis, phychicis et propagativis cohaerent; quam scholasticam vis vitalis divisionem, ut majori claritati inserviam, sequendam duxi.

Et primo quoad sexum, quo homo distinguitur, neminem quidem latet, barbam, qua adultus exornatur, quandam esse ex multis notis, quibus a femina plurimum secernitur, quod, ut dignoscatur, non est opus, nisi tactu et visu, cum minima etiam observatio de hoc certiores nos reddat. Physiologus maris capillos rigidiores esse animadvertit. Quoad stirpes, quibus humana species, alioquin unica, per constantes chara-

cteres est secreta, non praetermisit Physiologus capillorum diversitates enumerare inter alios constantes characteres, qui illas definiverunt; et revera Caucasica stirps candida vel Arabo-Europaea a caeteris nigrorum vel flavorum capillorum longitudine secernitur; Americana, quae parum ab ista recedit, capillos habet nigros, rectos et illis Caucasicae stirpis subtiliores; capilli pariter nigri et recti stirpis Mongolicae aut flavae, sunt enumeratis subtiliores et tarde crescentes; et istis quoque minus crescentes capilli stirpis Malaicae, quae a Mongolica parum distat: capilli tandem Aethiopum stirpis aut nigrae differunt caeteris ex eo quod sint breviores et gossipio similes.

Si vero ad aetatem gradum faciamus, quis ignorat masculum ab incunabulis imberbem, juventutis flore pilo vultum velare coepisse, qui postea in decus oris crescens virilitatis haud dubium signum exhibet, sicuti senii signum evadit, cum canus efficitur? Et quin missos faciam pilos, qui in utrisque sexibus enascuntur circa pubem, perineum, axillas et plus minusve per artus quique easdem, ac barbae, phases sequuntur, capitis pili, capilli scilicet, quamvis caeteris promptiores appareant, nonne et ipsi iisdem pariter mutationibus sensibilibus diversa vitae stadia percurrunt? Principio minus colorati, te-

nuissimi, breves ac recti, in posterum colorantur, crescunt, augentur; virilitate maximam pertingunt prolixitudinem et crassitiem; cani evadunt et decidunt senectute. Praeterea homo cuuscumque sit sexus, stirpis et aetatis individualem quamdam exhibet vitae rationem ac quamdam reagendi facultatem, quae temperamentum definitur, quod juxta Galeni divisionem, hodiedum etiam a multis illustribus Physiologis receptam, distinguitur in sanguineum, phlegmaticum, cholericum et melancholicum; et inter notas, quibus Physiologus illa secernit, capilli etiam enumerantur; et re quidem vera flavi aut castanei et facile crescentes in homine inveniuntur, qui sanguineo gaudet temperamento; flavi aut castanei, sed subtiles et parum vegetantes in phlegmatico; nigros et rigidos illos ostendit cholericus; et melancholicus facillime canescit. Sensibiles ergo constantesque capillorum varietates hominem in ejus sexus, stirpis, aetatis ac temperamenti varietatibus sequuntur.

Quis itaque modo inficias ibit sexum, qui non secus ac aliis constantibus characteribus, majori quoque capillorum rigiditate et barba ab altero secernitur, non etiam constitutione magis robusta, altiori virium physicarum psychicarumque gradu distingui? Nonne ipse per antonomasiam sexus fortis appellatur?

Barba etiam cum viribus propagativis facile conjungitur, et hoc satis misserimus eviratus ostendit, qui, si prorsus ea non deest, raram, fulvam, mollem et parum vegetantem semper ostendit.

Stirps Caucasica candida vel Arabo-Europaea, quae etiam majori capillorum longitudine ac crassitudine ab aliis constanter secernitur, etiam physica vi majori ac excellentioribus intellectus facultatibus distinguitur. Et neminem inter eos, qui disciplinis sunt imbuti, historiae populorum tam ignarum esse puto, ut hac de re dubitare possit. Statistica vero hujus stirpis major propagativa vis probatur, cum in ipsa diutius propagativa facultas conservetur.

Quid de aetate proferam? Quis non videt, cum pubertate physicae, psychicae et propagativae vires explicentur, pilos etiam in diversis corporis regionibus et in viro barbam eodem tempore erumpere? Quis non videt, cum pili et praecipue capilli cani evaserint et deciderint, has easdem vires decrescere et perire?

Phlegmaticus, qui subtilibus, et parum vegetantibus capillis ab aliis differt, etiam distinguitur animo apathico, vitiis non secus ac virtutibus inepto et consuetudini inservienti, tarditate in omnibus suis functionibus, uno verbo, languore in suis viribus physicis, psychicis atque propa-

gativis. Melancholicus eadem celeritate capillos et vires, cum senescit, amittit. Praeterea cani evadunt capilli et cadunt propter vehementia animi pathemata, morbos quosdam graves et propter subitum terrorem, quibus omnibus in casibus virium physicarum, psychicarum et propagativarum summa certe diminuitur. Samson una cum capillis suam illam admirabilem vim perdidit. Atque mihi modo venia detur; si hic recordari libet, barbae minori ex parte recisionem, mollitiem et excidium Romae subsecutum esse, barbae et capillorum majori ex parte recisionem Turcarum mollitiem adhuc prosequi; barbae et capillorum ex toto recisionem Reipublicae Venetae casu comitatam fuisse. Negari igitur non potest, intimum nexum inter vires physicas, psychicas et propagativas et pilos, ac praecipue barbam et capillos intercedere, si horum quaedam sensibiles mutationes diversis illarum gradibus constanter respondeant; nec eorum ignorare officium, et hinc quanam causa eorum relationes cum istis viribus subsistant, est ratio sufficiens, cur ultra dubitari debeat; quapropter ex hujusmodi etiam nexu, immo praecipue ex ipso, pilorum utilitas in tuto collocatur.

Dixi ex hujusmodi nexu, nam pilorum utilitatem, quamvis aliis freti rationibus, quarum aliquae mihi non prorsus arrident, Physiologi qui-

dem admittunt; et revera praeservari organismum per pilos ab externis injuriis est hoc sane vagum argumentum et nimis futile illud per ipsos partium attritum impediri. Forsan pueri, qui carent pilis circa axillas et perineum minus frequenter et minori celeritate quam alii moventur? et tamen nullum illis damnum evenit ex pilorum deficentia, qui prae caeteris deberent huic officio destinari. Gratis autem mihi videtur asseri, ex eorum exhalatione ab organismo removeri damnosa quaedam et inutilia principia.

Ad pilorum autem utilitatem probandam insufficiens non est certe argumentum desumptum a morbis, qui ex defectu eorundem oriri possunt, et mihi est sane pergratum Physiologos id facti adnotasse, quod Pathologorum incuria saltem hypotheticum efficit; nam inde mihi est illa utilitas deducenda, quam semper quaerere debemus, quamque esset in animo huic tenui operi meo innectere.

Certum quidem est, quemdam capillis satis prolixis velatum se a gelonibus ad aures defendisse quibus antea, consuetudinem jam receptam illos tondendi secutus, tempore hyemis afficiebatur; atque alium eadem ratione liberatum fuisse constanti mucosarum capitis irritatione; nec non dolore, quo ad occipitis regionem fulminis ad instar aliquando et praecipue in choreis ve-

xabatur, qua de causa erat illi necesse immobiliter manere et ab omni motu plusve minusve cessare, quod ubi non fecisset, statim renovatum illi fuisset, ut saepenumero experientia comprobavit. Certum est, nihil fortuito natura operari, atque commodum quod a capillorum et barbae recisione derivatur, unde forsan consuetudo et lex obtinuit, multo inferius esse debere, quam damnum, quod ex eadem recisione et potest et debet consequi, ubi vero hoc modo eorum lapsus non impediatur; quia tunc numerus forsan supplere posset longitudini paucorum, quos cujusque hominis particularis conditio postulat. Et quot morbi, quorum causa a Pathologo ignoratur, ab hac consuetudine saltem remote forsan non dependent! Depilatio, quam orientalis fatuitas introduxit, forsitan causa esse posset illius ophtalmiae, quae ibi magis quam alibi insaevit quaeque propterea aegyptiaca appellatur.

Certum est, dum barba et capilli tondentur, vi legis illius in organismo viventi positae, quae ad partes stabiliendas in eorum statu normali tendit, nos continua productione onerari, quae, ubi haec recisio non obtineret, virilitate quidem cessaret. Certum est, pilum esse malum calorici et electrici conductorem, igrometrum esse excellentissimum, ac uti prisma lucem refrangere, quemadmodum saepius ipse animadverti, atque

hasce illius relationes cum agentibus tam validis, tamque cum organismo conjunctis, post ea quae dixi, rem extra omnem dubitationem ponere, pilum esse utilem, et barbae capillorumque sectionem, quamvis apparenter innocuam, totum organismum male afficere debere, et hinc barbae et capilli recisionem omnino esse proscribendam, et tantum sicuti therapeuticum auxilum retinendam.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Pili nectuntur cum viribus physicis.

II.

Pili nectuntur cum viribus psychicis.

III.

Pili nectuntur cum viribus propagativis.

IV.

Capillorum varietas gradui vis vitalis respondet.

V.

Quo inferior vitae gradus eo subtiliores capilli.

VI.

Capilli tarde crescentes pro virium debilitate deponunt.

VII.

Pilorum recisio non innocua.

VIII.

In nervo prima conditio pathologica.

IX.

Non licet judicare de actione remediorum a tarditate vel frequentia pulsus.

X.

Intima, ut rerum, sic et morborum causa nos latet.

XI.

Non semper dolor inflammationes internas comitatur.

XII.

Physiologia sola ad pathologiam idoneam construendam nequaquam sufficit.
